



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

48. An in opinione quam supra Resolutione 12. refutavimus, quod  
Confessarius obligetur confiteri circumstantiam copulae cum filia  
confessionis, teneatur etiam id facere, si cum viro filio confessionis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 55. n. 4. Egidium de Coninch de Sacram. tom. 2. disp. 32. dub. 2. n. 23. Nuguez in addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. dub. 3. Et probant, quia talis copula singulariter repugnat reuerentia, tam ipsi sacramento, quam Confessario debita, qui est quasi spiritualis pater ipsius poenitentis; unde in cap. omnis 30. quest. 1. dicitur: Omnes quos in poenitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, vt & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinae meritionis vocabulo mergentibus, vnda sacri baptismatis regenerat. Vbi vides, esse nostras spirituales filias, non solum quas baptizamus, sed etiam quas in confessione abluimus. Ergo, &c.

2. Sed licet haec opinio sit probabilis, tamen contraria semper mihi vasa est probabilior. Ratio est, quia incestus committitur inter cognatos, sed sacramentum poenitentiae non inducit cognationem spirituales, cum in nullo iure expressa reperitur, vnde illud cap. omnes, citatum intelligitur de incestu metaphorico, & improprio; ergo peccatum commissum cum poenitente, non habet malitiam incestus, necessarium in confessione explicandam. Probatu totum hoc ex cap. fin. de cognatione spirituali in 6. vbi decernitur cognationem hanc oriri ex Baptismo, & Confirmatione, & postea subditur. Ex datione vero aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quae matrimonium impediatur; vel dissoluit. Et sic hanc opinionem tuerent Azorius part. 3. lib. 3. cap. 9. quest. 5. & 9. Emmanuel Sa verb. confessio. num. 26. & verb. luxuria num. 2. Bonacina de matrimonio. quest. 4. punct. 16. n. 7. & de Sacramento. disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. n. 9. Petrus de Ledesma de matrimo. quest. 56. artic. 2. dub. vltim. & alij quos citat, & sequitur Sancius, in select. disp. 11. non. 5. adde etiam quod Vega in summa. to. 1. cap. 55. cas. 19. & Rodriguez tom. 1. cap. 209. num. 1. asserunt hanc esse solum circumstantiam aggrauantem. Sed secundum nostram opinionem, circumstantiae aggrauantes non sunt necessarium in confessione aperiendae; ergo neque ista erit, etiam aperienda. Et sic patet responso ad quatuor, de quo etiam sup. in Tract. de circumstantiis.

RESOL. XLVII.

An Confessarius, qui carnaliter cognouit poenitentem, teneatur dictam circumstantiam in confessione explicare? Ex part. 1. tr. 7. Ref. 1. 2.

1. Affirmatiue respondet Homobonus de exam. Eccles. p. 1. tr. 5. c. 12. q. 75. Ragueius in Lucerna Parochorum de Sacram. Poenit. 43. Acugna tract. de Confess. sollicit. q. 5. n. 53. Nuguez in addit. ad 3. part. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. in fin. Sanchez de matrim. to. 2. lib. 7. disp. 55. n. 4. Coninch de Sacram. disp. 31. dub. 2. n. 23. Megala in 1. p. lib. 5. cap. 12. n. 16. Zanard in diuersis Theol. p. 1. de Sacram. Poenit. c. 18. in circumst. Quis. & nouissime Fagundez de Praecept. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 3. n. 33. & alij; quia haec circumstantia mutat speciem peccati; est enim speciale facilegium ratione vinculi, similis cognationi spirituali ex Sacramento contracta.

2. Sed contrariam sententiam puto esse probabiliorum; quia, vt notat Vasq. in 3. p. to. 4. q. 91. art. 1. dub. 2. n. 20. Rodriq. in sum. t. 1. c. 209. n. 1. Vega in su. to. 1. c. 35. cas. 19. & alij, haec circumstantia non mutat speciem sed notabiliter tantum aggrauat peccatum. Et ita ut terminis hanc sententiam docet Pontius tr. de impedim. matrim. causa 30. c. 24. §. 2. verb. atque haec Sancius in pract. disp. 11. n. 3. & seq. Azor. p. 3. lib. 3.

c. 9. q. 5. & nouissime Fay in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. disp. 8. concl. 2. Bonac. de matr. q. 4. punct. 16. n. 7. cum aliis penes ipsos. Et hanc opinionem probabilem putat Portell in addit. ad dub. regul. verb. eligendam. 3. & Ledesma in sum. to. 1. de Poenit. cap. 19. concl. 6.

3. Notandum est vero, quod Filliac. to. 1. tract. 10. cap. 5. n. 187. resoluit hanc quaestionem cum distinctione. Aut enim ait, actu mulier est poenitens Sacerdotis, cui ordinarie confiteatur; aut non est actu poenitens, sed olim fuit: in primo casu putat, talem circumstantiam esse in confessione aperiendam; in secundo casu minime.

4. Sed tu probabiliter tene absolute dictam circumstantiam nunquam esse necessarium in Confessione explicandam; quia, vt diximus, dicta circumstantia est solum aggrauans, & non mutat speciem; quia Sacramentum Poenitentiae non inducit proprie cognationem spirituales, cum in nullo iure expressa reperitur. Et c. omnes, 3. q. 2. intelligitur de incestu metaphorico, & improprio, licet Confessarius dicatur Pater spiritualis, Et hoc etiam docet Filliucius to. 2. tr. 30. c. 5. n. 105.

RESOL. XLVIII.

An in opinione, quam supra in Resolutione 12. refutauimus, quod Confessarius, obligetur confiteri circumstantiam culpa cum filia confessionis, teneatur etiam id facere, si cum viro filio Confessionis accubaret?

Quae hic est Ref. antecedens.

Et notatur, quod stando in opinione, quod Confessarius teneatur confiteri circumstantiam copula cum filia spirituali, non teneatur tamen confiteri circumstantiam tactus, aut pollutionis habitae inter femina femora.

Etiamsque aduertitur ante Bullam Greg. XV. Confessarios sollicitantes viros in confessione non esse denunciandos: Ex part. 1. tr. 7. Ref. 56.

1. Affirmatiuam sententiam docet Sancius disp. 11. n. 12. quia, etsi iura de commistione cum foeminis de Confessionis filiabus solum loquantur, eadem omnino ratio procedit respectu virorum poenitentiae filiorum; & eadem irrogatur iniuria Sacramento; & ideo asserit Sancius, quod in Bulla contra sollicitantes foeminas in Confessione, includitur etiam sollicitatio virorum.

Sup. hoc breuiter, & recitatur in Ref. seq. §. Quod vero, in fine.

2. Haec sententia est probabilis; sed non minus probabilem, & tutam in praxi contrariam existimo. Et contra Sancium tenet hanc sententiam Basilius Poncius in tr. de impedim. matr. causa 30. cap. 24. §. 2. vers. Atque haec & Acugna tract. de Confess. sollicit. q. 5. n. 53. in fin. & Peirinus super priuil. Minimor. tom. 2. Const. 4. Greg. XV. §. 5. n. 18. quia canones prohibentes, de foeminis tantum loquuntur, vt c. fin. ibi, cum mulieribus. & c. omnes. ibi, ad suam poenitentialem accedat.

3. Ad argumentum Sancij respondeo, multos Doctores probabiliter docuisse, ante Bullam Greg. XV. Confessarios sollicitantes viros non fuisse denunciandos; quia Bulla Pauli V. & Clem. VIII. loquebatur tantum de Confessariis sollicitantibus foeminas. Ita Fagundez, Societatis IESV, de Praecept. Eccles. tract. 2. lib. 4. c. 3. n. 31. Portell in addit. ad dubia regular. vers. sollicitare foeminas. Videnostrium Tra. de Denunciationibus, Resol. 12. vbi pro hac firmanda sententia, multas rationes inuenies. Notandum est etiam, quod stando in opinione, quod Confessarius teneatur confiteri circumstantiam copula cum filia spirituali, non teneatur confiteri circumstantiam tactus, aut pollutionis, habitae inter foeminae femora; quia ius canonicum solum commistionem numerat, in ordine ad irrogandam iniuriam Sacramento.

Quae nunc inuenietur in tom. 5. tr. 9. Ref. 78. & in aliis eius primae annot.

RESOL.